



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

209. An religiosi dimittentes habitum ad aliquam honestam
repræsentationem faciendam in Monasterio inter ipsos peccent venialiter,
etiamsi coram sæcularibus repræsentent in Monasterium? Etiamque in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

totam, & do lib. 4. cap. 18. num. 4. Syluester ver. excommunicatio 9. casu
 Arinam dua 24. n. 3. notab. 3. & alij afferentes Religios non in-
 rum præce- cedere hanc excommunicationem si dimittunt habi-
 dentium Ref. bitum ad breue tempus, & Sanchez in summa tom. 2.
 lib. 6. c. 8. n. 54. putat breue tempus esse spatium vnus
 horæ, & in tali casu docet Religiosum non incurere
 excommunicationem, etiamsi dimittat habitum non
 solum ex causa tulpi, vt gratia fornicandi maiori vo-
 lupatate, aut clam aliquid furandi, sed etiam vt inco-
 gnitus adeat ad lupanar, &c. quod etiam ex parte do-
 cet Sanctarellus tract. de Apostasia, cap. 1. dub. vnic. n. 7.
 Azorius vbi supra, & Syluester cum alijs, quia etfi
 dimissio illa momentanea ex malitia alterius speciei
 illi adiunctæ sit grauis, at in ratione dimissionis tem-
 peraria, quæ sola subicitur huic censuræ, censetur
 leuis, nec nomine dimissionis, moraliter loquendo, sed
 cuiusdam spoliationis digna; licet contrarium docue-
 rit Suarez in 3. p. tom. 5. disp. 23. sect. 4. n. 31. Bañez in
 2. 2. q. 12. art. 2. dub. 2. concl. 2. & alij, quando dimittitur
 habitus eo breui spatio causa diuagandi & eundi in-
 cognitus ad lupanar, quia grauitas huius delicti non
 est pensanda ex temporis duratione; sed ipsa habitus
 dimissio est per se res grauis, & sufficiens ad pecca-
 tum mortale, quod peccatum est huic legi contra-
 rium, & materia huius censuræ. Sed prima opinio est
 satis probabilis in omnibus supradictis casibus.

RESOL. CCLX.

An Religiosi dimittentes habitum ad aliquam honestam
 representationem faciendam in Monasterio inter ipsos,
 peccent venialiter, etiam si coram secularibus represen-
 tent in Monasterio?

Etiamsi in textu huius Resolutionis alij diuersi casus
 discutuntur circa dimissionem habitus Regularis.
 Et etiam queritur, an si Patres Societatis IESV dimit-
 tant habitum, incidant in penas à iure relatas? Ex
 p. 9. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 5.

Ad magis elucidandam doctrinam huius Resol. ge tres præcedentes Ref.

§. 1. Afirmatiuam sententiam docuit Peyrinus de
 Relig. sub. tom. 2. q. 1. c. 26. §. 1. n. 1. Sed po-
 stea in commentarijs Asceticis ad Reg. Minim. c. 3. §. 5.
 q. 2. n. 3. retractauit: sic enim asserit: [Nota, quod
 accedente causa rationabili, licet. Habitum dimittere:
 causæ autem rationabiles sunt, ad vitandum pericu-
 lum vitæ, vel scandalum infidelium, vt in c. Deus qui,
 de vita, & honest. Cler. seu etiam causa iocose leuitatis
 ad ludum aliquem exercendum, ad piscandum, vel
 ad scienda ligna, vel ad fabricandum panem, vt
 exemplificat Trullus; seu, vt exemplificat Syll. verb.
 Habitus, q. 2. n. 3. & verb. Excom. q. 5. 3. in honesta
 recreatione, vt si Minimus Habitum Dominicanum in-
 dueret, &c. Vnde videntur excusari etiam à veniali
 Religiosi Habitum hystionum induentes ad aliquam
 honestam representationem faciendam semel in an-
 no, quicquid dixerim, loc. cit. subd. quia non videtur,
 neque leuis dimissio, quæ sit honestæ recreationis
 causa, cum dictæ recreationes actus virtutis eutrape-
 liæ sint: & ita videntur sentire Syluester verb. Ha-
 bitus, n. 3. & Passarellus in notab. priuileg. c. 34. verb. De
 dimittentibus Habitum.] Ita Peyrinus.

Super hoc in fra in tr. 5. c. doctrina Ref. 6 §. 1 signan- ter in fine.

2. Sed magis cautè loquitur in hac questione Pater
 Lezana in Summa q. Regular. tom. 1. c. 13. n. 5. ait enim,
 quod [dimittere Religiosum suum Habitum, etiam in
 Monasterio, & indui veste fœminea propter ludum
 lartarum, vel aliquam Comœdiam faciendam, qui-
 dam dicunt esse peccatum mortale. Si tamen fiat ob
 honestam recreationem, eutrapeliam, vel alium hone-
 stum finem debitique penfatis circumstantijs, quan-
 tum est ex se, & sua natura, non erit peccatum; saltem
 mortale: licet semper sit periculosum, propter infir-
 mitatem, & corruptionem naturæ.] Sic ille Et de hac
 materia vide Baldellum tom. 1. lib. 3. disp. 33. n. 15. &
 Pellizzarium in de Monial. c. 7. n. 44. & 45. qui viden-
 tur docere, supradictos Religiosos peccare venialiter.

3. Verum, quia hic incidit sermo de dimissione Ha-
 bitus regularis; quero an, si illum dimittant Patres
 Societatis Iesu, incidant in penas à iure relatas, in cap.
 2. de periculosa, ne Clerici vel Monachis in 6. sit negati-
 uâ sententiam tenet Pellizzarius in Man Reg. 10. 1. n. 3.
 c. 7. sect. 1. n. 8. vbi obseruat, quod cum præfatum cap. 2.
 loquatur de Professis dimittentibus Habitum suæ Re-
 ligionis, quasi supponens, Religionem illâ habere pec-
 culariæ Habitum, per quem à reliquis discernatur,
 & Societas Iesu non habeat proprium Habitum, sed
 vtatur Habitu communi accommodato vni Patriæ,
 in qua existit, vt constat ex eius Constitutionibus p. 6.
 c. 2. §. 15. per consequens Religiosi Societatis, non vi-
 dentur subiaci dictæ censuræ, si dimisso Habitu reli-
 gioso sine iusta causa induant sæculares, (quod quid-
 sit de peccato, quod committunt in tali dimissione.)
 adeoque in cap. illo 2. non comprehenduntur omnes
 omnino Religiosi; cum Professi Societatis sint verè
 Religiosi, & tamen in eo non comprehendantur. Ita
 Sanc. in terminis, n. 7. alij; docti viri è Societate cõ-
 tra Bonac. q. 2. de clausp. 2. n. 24. oppositum sustinent,
 ex eo, quod Religiosi Societatis, sicut ratione status
 Religiosi gaudent priuilegijs Regularium, sic debent
 subiacere oneribus eorundè; quasi verò non possit quis
 sui commodis alicuius Communis, etfi non ferant
 omnia onera illius; præterquâ quod Religiosi Socie-
 tatis subfunt alijs multis oneribus status Religiosis, ob-
 seruatiæ suæ Regulæ, &c. Ratio nostræ responsionis est,
 quod in pœnis non est facienda extensio, neque obli-
 titatem, neque ob maioritatem rationis. Ideoque lex pen-
 nalis debet explicari iuxta proprietatem verborum qui-
 bus exprimitur, illam non extendendo à casu expresse
 ad non expresse; hinc cum in c. 2. citata excommu-
 nicatio feratur contra temerè dimittentes Habitum
 suæ Religionis, & ea, seruata verborum proprietate,
 non possit extendi ad dimittentes Habitum, qui non
 sit suæ Religionis; sequitur, illam non extendi ad
 Religiosos Societatis, vt potest non habentes pecu-
 liarem Habitum, qui dici possit suæ Religionis.

4. Sed mihi magis placet opinio affirmatiua, quæ ve-
 rit ex eadem Societate Iesu Pater Castr. Palaus in 3.
 tr. 16. disp. 4. punct. 6. n. 2. putat enim in dicto c. 2. de
 periculosa. Religiosos Societatis comprehendere: quia
 esto non habeant Habitum vnicum, & specialem, quo
 in omni loco vti debeant, tenentur tamen vti Habitu
 honesto Clericorû illius regionis; ergo, si hunc dimit-
 tunt, & seculari veste induuntur, proprium Habitum
 suæ Religionis dimittunt Aliàs, si sub dicto Decreto
 Societatis Religiosi non cõprehenduntur, non com-
 mittunt per se vilâ culpâ temerè Habitum deponentes,
 & sæcularè induentes, cum iure naturali Habitus reli-
 giosi dimissio, si sit firmo proposito non retrocedendi
 ab statu, prohibita non sit. Quod certè durum est, &
 vagandi materiâ satis aptâ præbet, & licet textus loquatur
 de Professis, id fecit gratia frequentioris vsus: & quia
 eo tempore nullus erat Religiosus à Nouitijs distin-
 ctus, qui tacite, vel expresse professus non esset. Et id
 ex his omnibus vtramque sententiâ probabilè esse potest.

5. Quæro secundo, an, si quis retento Habitu Reli-
 gionis propriæ sæcularè induat, vt sic incognitus in-
 cedat, incidat in penas, Affirmat Sanchez in Summa, n. 2.
 lib. 6. c. 8. n. 63. Quia illa occultatio, licet non sit mate-
 rialis Habitum dimissio, est vera, & formalis; siquidem
 ea facta tollitur ab Habitu esse signum cognoscitui
 Religiosi status, ad quem significandum ille Habitus
 materialis assumitur. Aliàs si retento interius habitu,
 eoque occultato, possit excommunicationem dimit-
 tentibus Habitum impositam fugere, facile legem
 prohibentem dimissionem eluderet. Ergo, &c.

6. Sed Pater Suarez de Relig. 10. 4. tract. 8. lib. 1. c. 5.
 n. 12. & de cens. disp. 23. sect. 4. n. 33. & 34. Sayr. de cens.
 lib. 6. c. 3. n. 9. & 10. cū alijs negatiuè sententiæ adhe-
 rēt. Et ratio est: quia in c. 2. n. 6. quilibet occultatio vagantè
 prohibetur.

prohibetur, sed quæ fit per dimissionem Religiosi Habitum. At occultans Habitum non illum dimittit, sed potius retinet, occultum tamen. Neque est verum, occultantem Habitum dimittere signum Religiosi status; non enim illud dimittit, sed dissimulat, & celat: ergo pœna imposita dimittentibus non debet extendi ad occultantem. Neque item est verum, ex hac occultatione finem legis eludi; non enim ita facile Religiosus incedere potest incognitus re- tentum Habitum, ab illo dimisso. Deinde lex pœnalis ad summum extendi potest ad casum sub lata verborum forma comprehensum: at occultatio habitus non continetur sub dimissione, sed potius est illi opposita. Ergo.

7. Quid sentiam, dicam breuiter. Primam opinionem Sanchez existimo probabiliorē, sententiam verò Suarez, tanquam probabilem, admitto: at in peccato graue sic facientem, incidere non est dubitandum. Solum hic de vitanda excommunicatione loquimur.

8. Notandum est etiam hic, Regularem, qui dimisso Habitu, manet intra Clausuram proprii Monasterij: non incurere in censuram. Ita Doctores, quos citat Sanctarellus de Apostasia, l. n. 14. Verum, secundum Caltrem Palaum, ubi supra n. 10. contraria sententia omnino tenenda est, scilicet, hunc Religiosum excommunicationi subici quia absolute dimittit Habitum suæ Religionis, ex qua dimissione per se nascitur occasio vagandi; esto, per accidens vagatio impediatur: sicut si dimittentem extra Clausuram habitum recluderet in carcerem, reclusio impediret vagationem; sed non impediret, quin dimissio præberet occasionem vagandi. Et ita tenet Syluester verb. Excommunicatio, g. casu 24. n. 5. 4. quest. 5. Nauarr. cap. 17. n. 131. Azorius lib. 12. cap. 17. quest. 15. Sayr. de censuris, lib. 3. c. 33. n. 11. Sanchez lib. 6. Sum. c. 8. n. 6. vt procedat tantum, cum Religiosus se oculis videntium offert: sed si se occultare procurat; quia dum se occultat, non videtur animum habere vagandi. Hæc tamen limitatio non placet Sancto, neque Azorio 9. 1. 3. & 14. & merito, quia text. in o. r. 2. non attendit, an Religiosus oculis intuentium pateat, seque illis offerat; sed, an occasionem assumat se offerendi incognitum, & per Orbem vagandi, quod certe præstat Habitum dimissio. Sed, his non obstantibus, negatiuum opinionem probabilē putat Pellizzarius num. 19.

9. Sed quæres, an detur paruitas materiæ excusans à dimissione Habitum? Et affirmatiuè respondent communiter, & idèd excusant Habitum dimissionem à peccato mortali, & ab incurrenda censura, si breui tempore duret, scilicet, per horam: quia illa momentanea duratio præstat, ne censetur depositio moralis dimissio, sicut non censetur recedere: qui breui reuertitur. l. Dimortuiss. de dimort. Sic Emman Sa verb. Excommunicatio referuata n. 9. Tolet. lib. 4. Sum. c. 18. n. 3. Azorius 1. part. institut. moral. lib. 2. cap. 13. quest. 5. casu 16. Sanchez lib. 6. cap. 3. num. 57.

10. Sed hanc excusationem non admittit Palaus loc. cit. n. 11. eo enim ipso, quod Habitum deponis, animo occultandi statum, & incendi incognitus, præstat totum id, quod in supradicto textu requiritur, ad censuram contrahendam: dimittis enim tuæ Religionis Habitum, & expeditior redderis vagationi. Perseuerare autem in dimissione non petitur in textu: & merito, quia perseuerantia non facit dimissionem, sed dimissionem factam continuat, & extendit.

11. Verum primam sententiam admittit nouissimè Leander à Murcia cap. 19. ad cap. 2. Regula D. Francisci §. 1. n. 2. Imò, & plus addit: sic enim ait: Ni tam poco incurte en la dicha descomunion el, que toma otro Habito, ò vestido, por tam breue espacio, que propriamente no se pueda dexir (moralmente hablando) que dexo el suyo: de donde se sigue, que el, que le dexo temerariamente por breue tiempo, como para saltar,

ò tirar la barra, dexò el Habito por vn hora, y aunque fuesse por vn dia, non incurreria en la descomunion, aunque pecaria venialmente. Ita ille.

12. At secundum Patrem Lezandam tom. 1. c. 13. n. 10. eum, qui Habitum regularem mutat in habitum sæcularem, si serid id faciat, & vt pro illo tempore sæcularis appareat, etiam si tempus breue sit probabile est, peccare mortaliter, & incurere excommunicationem adductam. Ratio est: quia talis mutatio, quantumuis pro breui illo tempore facta, videtur materia grauis, & habere notabilem deformitatem repugnantem statui religio.

13. Verum post hæc scripta inueni satis latam opinionem Texedæ circa dimissionem Habitum in Monasterio: sic enim asserit in Theol. mor. tom. 1. l. 2. tr. 1. contr. 6. d. 1. [Sed, quid dicendum est de Religioso, qui infra priuatis Monasterij parietes Habitum non deferret? Tenet Azor. t. 1. inst. moral. lib. 12. c. 13. q. 5. & c. 17. q. 10. & Sanchez Sum. l. 6. n. 61. excommunicationem incurere: quia cum textus absolute loquatur, absolute interpretandus est: & idèd, inquit illi, de dimittentibus Habitum quouis modo ita vt quouis modo Religiosus illum dimittat, incurat hanc excommunicationem.

14. Cæterum dicendum est, hunc Religiosum excommunicationem non incurere. Quia per quamlibet Habitum dimissionem non incurritur ista excommunicatio, sed per temerariam: Religiosus enim, qui intra sui Monasterij parietes Habitum dimittit, non temerè illum dimittit, sed causa alicuius curiositatis id facit: & quamuis textus absolute loquatur, intelligitur tamen iuxta hunc tenorem. Vnde, cum illa Habitum dimissio non fiat ex contemptu, sed ex causa rationabili, vel apparenti: non dicitur temeraria dimissio; vt per illam incuratur excommunicatio: aliàs si Religiosus in cella Habitum exueret, & per Dormitorium ambularet caloribus vel alicuius alterius, esset excommunicatus, quod est falsum. Imò existimo, quod quamuis is Religiosus intra Monasterij parietes Habitum dimittat, & se ostendat sæcularibus, adhuc excommunicationem non incurere, esto, sæculares cognoscant, illum esse Religiosum illius Religionis; quia talis Habitum dimissio non est temeraria, nec ad vagandum ordinata. Et idèd non incurritur excommunicationem Religiosi, qui pro aliquo Festo celebrando in Comædiis gerunt vices personarum, etiam si coram sæcularibus repræsentent intra Monasterium: quia illa Habitum dimissio non est temeraria, nec ad vagandum, nec ex contemptu legis.

15. Si roges primò, an dimissio Habitum ad breue tempus, videlicet per horam, incurat excommunicationem? dico Religiosum Habitum dimittentem per dimidiam horam aut per horam non incurere hanc excommunicationem: quia ratione paræ materiæ, sicut excusatur à peccato mortali, ita ab incurfione censuræ: nam dimissio Habitum per vnâ horam cum animo statim illum reassumendi, pro non dimissione reputanda est. Huc vsque Texeda.

RESOL. CCX.

Quidam ex graui necessitate Parenti egressus è Religione non poterat illos inuare, nisi habitum Religionis dimitteret: seruiendo viro nobili habitu sæculari; queritur, an hoc licite fieri poterit?

Et in dicto casu an poterit supradicto Religioso proprius Prelatus licentiam ad mutandum habitum dare?

Et an si Religiosi professi pro viribus in Religione nõ possint huic graui necessitati Parenti succurrere, tunc petita licentia, & non obtenta licite possint egredi quomuis ad id non teneantur: Ex p. 6. tr. 7. & M2. Ref. 19.

§. 1. Sppono tanquam certum filios Religiosos professos pro viribus in Religione niti debere.